

FRANCISCVS IRENICVS HISTORICVS.



Franciscus Ettelingiacensis honestis parentibus natus, & in bonis literis educatus est. Hic cum literarū fundamenta egregiē iecisset, sese hinc inde ad Academias cōtulit, atque singulari industria Historiarum lectioni incubuit. In ea quoque adeò profecit, ut in patriæ amorem Germanorum historias conscribere, atque maiorum praeclara facinora posteritati tradere proposuerit. Itaque Germaniæ exegeseos uolumina duodecim doctissimè scripsit, atque etiam Orationē protrepticam in amore Germaniæ, cum superioris Operis excusatione, Hage noæ anno 1518 edidit. Hisce praeclaris studijs Frāci- scus, de patria Germania optimè meritus, cunctis bonis intouit, atque ingenij sui felicitatem posteritati abūdē satis significauit, ut meritò eum hoc loco inter celebres Germaniæ uiros collocare de- buerim. Con. Gess, in Bibliotheca,